

P I S A

1 6 0 8



EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

*Hd. 11.*

DISPUTATIO V.  
EXERCITATIONVM ETHICARVM

De  
OBIECTO VIRTV-  
TVM MORALIVM, VIDELICET  
AFFECTIBVS IN GENERE, ET  
in specie de

AMORE            DESIDERIO  
SPE                &    LAETITIA

*Quam*

DEO DVCENTE ET DOCENTE.

In illustri Academia Witebergensi

*Præside*

M. HENRICO VELSTENIO PHILO-  
sophiæ Moralis Professore publico,

*Defendam suscipies*

GEORGIVS-ANDREAS FABRICIVS  
Hertzbergensis

21. Februarij horis locog<sub>3</sub> consuetis.

M O S E S

Ad te erit appetitus tuus, & tu dominaberis e.

VVITEBERGÆ

*Typis Mullerianis Anno 1607.*

Viris

AMPLISSIMIS, CONSULTISSI-  
mis, prudentissimis, Clarissimis.

DIs Göttingensis Sareptæ Tutelaribus.

Dn. CONRADO HARDEGIO I. V. D. & p. t.  
CONSVLI.

Dn. EXCONSVLI ET Dn. SENATORIBVS  
universis & singulis.

Evergetis, Augustis, & Mecænatibus meis.

S. P.

**N**Ec vos, ô patria, namq, hic quoq, patria, Patres  
Præterisse decet. Salve GOTTINGA, meorum  
Fida Domus, Salve Gottinga, ter inquo, Salve.  
Hic focus: hic patrij cineres, fratrumq, sororumq,  
Hic Musa: hic FIDEI lactans nutricula nostra.  
Hic quid non? Immo ex voto sunt omnia, saltem  
Hic ubi sit tumulis tumulus sociatus amicis.  
Testabor; sed enim quondam majoribus: at nunc  
Quem dico, DI Patrij, vobis AFFECTVS AMORIS  
Testificari animum saltem voluisse putetur.

VV. AA. & P. P.

subjectissimus

Georg-Andreas, Theod. P.  
Fabricius

# Moralium Exercitationum

v.

## Quæ agit de objecto virtutum moralium,

AFFECTIBVS videlicet, ijsq; in specie bonis

CONTINVATIO.

**R**ecedente virtute proxima, proximam virtutum moralium causam, actiones nempe humanas disputationum nostrarum incudi subjecimus: nunc objecta earundem excutere ordinis & instituti nostri ratio efflagitat. Sunt autem ea **AFFECTVS**: quorum accuratior consideratio, quanto cum emolumento doctrinae moralis conjuncta sit, quantumq; communi vite utilitatis conferat, nemini, qui modò splendidissimum moralis Philosophia templum, vel communis vite domicilium, non à cam ingressus, sed per rimulam saltem intuitus fuerit, obscurum esse potest. Ec quis enim est, qui nesciat, quæ & quanta sit affectuum vis & potentia: quâ tyrannide sæpius hominem de mente deiciant: clarissimum rationis iubar obscurent: imò vel tandem extinguere omninò satagant, nisi preciosissimis virtutum antidotis malo occurratur? Hinc enim hauri immerito Jamblichus lib. de myster. clavos eos dixit, quibus animus corpori ceu patibulo affigitur. Adeo namq; animum hominis feruili supplicio efficiunt, ut cotidie vel indè Prometheus illum Caucasò affixum conspiciere liceat.

Sed jacta jam alè ad horam considerationem quantum jure nostrum sibi propositum vendicat, divinâ aurâ benigne aspirante, pro Genij & ingenij nostri modulo nos rectè confestimur.

A 3

THE

## THESIS I.

**D**Efiniuntur affectus, quod sint motus cordis, à notitiâ & cognitione objecti excitati, illudque aut prosequentes aut fugientes. Piccol. gr. i. c. 5. Magir. Phys. lib. 6. cap. 16. Unde & aliis nominibus passiones, perpeffiones, perturbationes dici consueverunt.

1. Notatio nominis ab afficiendo est, *Cum enim homini passionem inferant eundem afficere dicuntur.*

2. Subjectum horum  $\gamma\upsilon\eta\sigma\iota\omicron\nu$  meritò Cor statuitur, 1. *Cum enim nimij affectus in vitam etiam hominis sibi quandoq; sumant imperium, liquido constat ipsum vitæ fontem ab illis occupari.* 2. *quid: quod pulsus qui motum cordis insequitur & emulatur de affectibus in corde latentibus haut obscurum iudicium præstet. Sagittar Exerc. Phys. 21. thes. 9.*

3. Materia circa quam est objectum videlicet externum, illudq; vel bonum vel malum: utrumq; verum vel apparens. 1. *Bonum quidem, quia unaquaq; res secundum suam formam ad aliquid inclinatur: nihil autem inclinatur nisi ad sibi conveniens, quod est Ens. At omne Ens bonum. Ergo omnis inclinatio ad bonum E. & appetitus ad bonum.* Savanorola lib. 12. Epit. phys. conclus. 12. Deindè circa objectum malum: *non quidem ut circa malum: sed sub aliâ ratione. Malum enim quod offertur fugit, & hoc fugere representatur illi in bonum. Itaq; se habet ad malum propter rationem boni, Savon. d. l. concl. 3. Vbi quidem nihil refert utrum inclinetur, vel ad verè vel apparens bonum: quia bonum apprehensum, nequam autem bonum in re non apprehensum sequitur. Ibid.*

4. Causæ affectuum duæ sunt, videl. *Objectum, de quo hætenus, & ejus cognitio.*

5. Ex quibus quomodo cièantur affectus, cuius in proclivi est æstimare 1. *Cognitio seu notitia rei appetitum præcedat necesse est: nam:*

*Quod latet ignotum est, ignoti nulla cupido.*

*Si enim Paris Helenam non cognovisset, aut nihil de ejus pulcritudine intellexisset, non tantum vulnus venis aluisset, nec tantas sub pectore flammæ: multò minus ejus rapienda cupiditate fuisset accensus.*

*Hinc.*

Hinc inter miracula referebat Satyricus illum : Qui nunquam vise  
 flagraret amore puella. 2. Mens, quando objectum externum oblatum, &  
 cognitum Phantasia beneficio vel bonum vel malum vel jucundum vel  
 molestum esse judicat, spiritus pulsatur animalis illud vel ad apprehenden-  
 dum vel fugiendum, non secus ac Citharædus nervos. 3. spiritus moti cor  
 ipsum feriunt. 4. Cor ita vibratum pro ratione pulsantium spirituum vil-  
 lorum adminiculo vel sese dilatat, quasi objectum illud bonum intra sese  
 esset recepturum : non secus ac amans amantem puellam in sinum suum  
 recipere gaudet. Melanthon. vel contrahit sese quasi malum objectum  
 averfans. V. g. Cum Ulyssi essent adjudicata arma Achilli. 1. Mens Ajacis  
 hoc cognovit. 2. malum, & averfandum judicavit. 3. spiritus mentis judicio  
 vibrati à cerebro ad cor delapsi sunt idque pulsarunt. 4. Cor hoc objectum  
 malum averfans sibi suis sese contraxit, adeo ut ipse sibi postea violentas  
 manus intulerit.

## II.

Affectus alij aliter dividunt, sunt qui eos in affectionales  
 & actuosos dispefcunt. Danaeus Eth. Christi. lib. 1. c. 23. p. 99. Snell.  
 in Eth. Valerij pag. 43.

1. Affectionales sunt inclinationes seu facultates ad nos facile & ex  
 tempore movendos.

2. Actuosos sunt ipsa commotiones & impetus quasi fluctus jam exci-  
 tati. V. g. Aliud est ὄργυλον ira iracundia, aliud ὄργυλον ira ipsa : illa animi  
 propensio est ad facilius & levi de causa irascendum ; hac illius effectum  
 & ira ipsa jam concepta seu animus ad sui vindictam commotus. Snell. d. l.

## III.

Utrosque hos alij non malè tripertiuntur. 1. in naturam bonos:  
 qui cum ratione & lege natura nunquam non consentiunt, & nunquam pos-  
 sunt esse mali, ceu sunt benevolentia & misericordia. 2. In natura malos:  
 qui videlicet nunquam non sunt mali, neque unquam possunt esse boni, utpo-  
 te qui semper à natura lege dissentiunt: ut odium, invidia, superbia, despe-  
 ratio. 3. In modicos: qui aliquando boni sunt, cum scilicet cum lege na-  
 tura consentiunt, aliquando mali, cum ab eadem dissentiunt. Ut ira spes, au-  
 dacia, metus, cupiditas, amor, letitia, tristitia.

## IV.

Inter hos alij leniores ; alij vehementiores: illi Græcis ἡδοναί  
 hi πέναν nuncupantur. Sed quia hoc modo de singulis agere prolixius fo-  
 ret, quam ferè instituti nostri ratio postulat, ideoque brevitaris studio duo  
 summa

summa affectuum genera constituemus, ad quae omnes alij tanquam ad fontes suos referri poterunt.

V.

Alij ergo affectus in objecto bono, alij in malo occupantur illi juvant, hi destruunt naturam.

V.I.

Objecti boni sunt: amor, desiderium, spes, læticia.

V.II.

Objecti mali: ira, metus, tristitia. Sed de singulis seorsim.

## DE AMORE.

I.

Amor est affectus quo animus bonum amatum sibi coadunari cupit, & unum q. cum eo fieri *Sagitt. Ex. Phys. 21. thes. 11.*

II.

Distinguitur à dilectione, amicitia, pietate, benevolentia, caritate. 1. Dilectio enim in voluntate est & præcedentem electionem importat. Atqui amor non in voluntate, sed in appetitu & concupiscibili facultate consistit.

2. Amicitia est habitus, amor nempe mutuus hinc inde perspectus officijq; confirmatus.

3. Pietas est in superiores, Deum, patriam &c. quae bruta non cognoscunt.

4. Benevolentia effectus amoris est, s. charitas & omnia hæc significare potest; addit tamen quandam amoris perfectionem Savonar. *Epit. Phys. lib. 15. Con. 9. Piccol. de rerum defin. p. 247. Compend. Theo. D. Thomæ 1. par. 2. c. 26. Schult. in Eth. de amore c. 2.*

Amor Platoni triplex statuitur. 1. Primus qui solam virtutem amplectitur & amat: propterea merito in virtutum societatem recipitur. 2. Turpis qui illicitam & in concessam voluptatem consistit. 3. Qui animam & corpus amat. Primo generosius nihil est. Secundo nihil sædus. Participat ab utroq; tertius: sed tamen non minus, ac alter ille erroneus est, quippe qui nimium corporis pulchritudinem amat & admiratur. *Corn. Val. descrip. Eth. c. 4.*

IV.

Causa amoris duplex esse potest: Principalis per se, deinde causa per accidens. 1. Principalis & per se est bonum cognitum similitudinem habens cum amante. 1. Bonum: quia oportet, ut illud propriè



proprie sic causa amoris, quod est amoris obiectum. Amoris autem proprium obiectum est bonum: quia amor importat quandam connaturalitatem vel complacentiam amantis ad amatum: unicuique autem est bonum id, quod est sibi naturale & proportionatum. Vnde relinquitur quod bonum sit propria causa amoris. Hinc August. 3. de Trinit. Non amatur certe nisi bonum. Thom. parte secunda q. 27. art. 20.

2. Bonum cognitum: Sicut enim bonum est causa amoris per modum obiecti: bonum autem non est obiectum appetitus, nisi prout est apprehensum: & ideo amor requirit aliquam apprehensionem boni quod amatur. Atque hinc illud est quod Philosophus dicit 9. Ethic. visio corporalis est principium amoris sensitivi, & similiter contemplatio spiritualis pulchritudinis vel bonitatis est principium amoris spiritualis. Sic ergo cognitio est causa amoris ea ratione, quia & bonum, quod non potest amari nisi cognitum. August. 10. de Trin. Et recte Vives ait l. 3. de anim: Tantum amatur bonum, quantum de illo possumus intelligere. Cognoscitur autem res primum ut ametur: sed cognitionem oportet esse tantam, ut qua ad educendum amorem sufficiat. Major enim, inquit Cajetanus cognitio maiorem causat amorem. Videatur Thom. l. d.

3. Bonum habens similitudinem cum amante 1. Similitudo enim est rerum differentium eadem qualitas & natura Saven. lib. 12. Phys. Concl. 17. quae idem quodammodo efficit. Vives de anim. lib. 3. 1. Quod enim separatum videtur & illud defraudari essentiae complemento: duo itaque quae sunt, atque unum esse queunt appetunt esse unum. Hoc enim verum est eorum esse. Quocirca haerent & corpora conserunt & spiritus duos osculorum conjunctione unus ut sint, faciunt. Scalig. Exerc. 310. Sect. 2. Hinc ergo animales ad similes sibi formas facillime congregantur. Ecclesiast. 3. Omne animal diligit simile sibi. Canis enim cani videtur pulcherrime, & bos bovi ait Epicharmus: & formica grata est formicae, cicada cicada: accipiter placet accipitri. Quemadmodum enim infantes amplexantur & deosculantur specula, in quibus imaginem suam adspiciunt, quoniam in se intus arbitrantur puerulum aliquem sibi simitem: ita amans amatum faciem atque imaginem in animo suo insculpit ac imprimi: quae de causa amantis animus speculum quoddam redditur, in quo amata forma relucet. Quam ergo amans in amato se animo intuetur, amore in illa compellitur in quo se quasi habitare intelligit. Ad hoc, vix aestimari potest quanta amoris flamma ad primum Eve aspectum in Adamo excitata fuerit: in qua velut seipsam est intuitus novo penitus aspectu.

3. Sicut

3. Sicut ex operibus interiorē bonitatem judicamus : sic imaginem animi existimamus esse faciem, quā de causā formosos naturaliter diligimus. Formosa facies, inquit Mimus, muta est commendatio, nisi forte experti sinus improbum animum, & ita deformem hospitem habitare in formoso hospitio. 4. Semper tamen ad amorem conciliandum fortior est animorum ingenij & morum quā corporum similitudo Vives lib. 3. de anima. Hinc ea Crasi erga Sulpitium voluntas extitit, quod intelligeret, Sulpitium studere, ut ei diuendo similis evaderet. Et Ewander apud Virgil. Pallanta filium Æneæ carum reddere niritur, quod illius imitator sit futurus.

Hunc tibi præterea spes & solatia nostri  
Pallanta adjungam, sub te tolerare magistro  
Militiam, & grave Martis onus, tua cernere facta  
Assuescat primis & te miretur ab annis.

#### V.

Causæ per accidens possunt esse plures. 1. Consuetudo atque convictus : Reddunt enim hæc hominem moribus ipsdem assuetos ac unius mentis. Schult. in Eth. de amore cap. 4. Et ea vis est consuetudinis, ut non corporis modo, sed et animi habitum immutet ad rei amatae formam. Vnde sæpius fit, ut homines diversissimi ingenij, non raro firmissimas inter se colant amicitias. 2. Vestitus, cultus, apparatus, mundiciaq; : etsi exquisitam nimis in eo genere diligentiam Tullius odiosam asserit. 3. Accedunt his nonnunquam philtrea, devotiones, & veneficia, quæ tamen verum amorem non conciliant.

#### VI.

Vires amoris quod concernit, est sanè hæc affectio fortissima & potentissima : ut merito sit illud consensu tot seculorum, probatum : Amori cedere omnia tanquam Victori. 1. Ex amore omnes reliqui affectus profluunt. Sequimur enim & concupiscimus quæ amamus, fugimus & odimus contraria ips, quæ amamus, V. g. odimus morbum, quia diligimus sanitatem : dedecus, quia diligimus decus. In compend. D. Thomæ d. l. c. 27. Vives l. 3. de an.

2. Sicut amor ex judicio pulcri aut boni surgit : ita ubi vires est nactus, idem ipsum judicium confirmat, ut jam non amplius statueret possit de pulcro & honesto, quod amat : adeo ut jam pulcra quæ amantur in amato videantur, quæ non videbantur prius : unde Amor cæcus, dicitur. Vives d. l.

3. Amans semper apud animum suum & amati bona auget, & vi-  
tios extenuat. Hinc aliquis horridam aliquam amat Xantippen, quam esse  
deformem aut rudem aut tardam satis videt: quia tamen charitas eò non  
pertinet sed ad Xantippes istius personam, ardor non refrigescit. Sic & multae  
matres insignes filiarum deformitates in oculis & facie iurabunt se nun-  
quam animadvertisse praeter amorem impotentia. Et quid multis? amoris vi-  
res sunt magne, ingentes, incredibiles: ira & nobis inexplicabiles. Poetae  
id expressum voluerunt, quando ipsum nec Diis imò neq; Iovi ipsi cedere, sed  
ejus fulmine concitariorem esse asserunt, id quod pulcre Augerianus ex-  
presit.

Cum jam visus amor fuit in fulgentibus armis  
Nec non accensa lampade pulcra Venus  
Privatur thyris Bromius, Mars ense, tridente  
Neptunus, fortis fulmine dextra Iovis.

Hinc à Platone Damon & à Poetarum opt. max. passim ignis dici-  
tur. Plato 9. de republ. confer Piccol. l. d.

VII. Effecta amoris duplicia constitui queunt: alia amoris subje-  
ctum adepti alia cum amans adipisci adhuc debet. Effecta amo-  
ris objectum jam adepti sunt. 1. Vnio amantis & amati. Savo-  
nar. Rhyf. Epit. lib. 12. Tract. 18. copulat enim affectu intenditq; co-  
pulare ipsa re: amore igitur si non re, saltem affectu duo sunt unum, &  
quodammodo duae anime contesunt in unam, quae duobus corporibus des-  
motum & vitam. Sic athena Iovis conglutinata est anima David. 1.  
Regum 18. 2. 2. Amans seipsum sibi aufert & dedit ac mancipat  
se amato: adeo ut haec ultima & extrema amoris meta merito ponenda sit  
conjugi usq; ad unitatem, ex multis unum fecisse & ex diversis idem, quod ad  
eius effici possit. Quod vero vincitur arctius, hoc amor verius perfectiusq; fi-  
nem suum nanciscitur. Scite enim admodum à Platone ficta est fabula,  
quod cum Vulcanus duobus inter se amicissimis occurrisset, quiq; amoris mu-  
tui magna ederent signa, delectatus illorum inter se benevolentia, iussit abs  
se petere donum, Dei munificentia dignum. Cui & responderunt illi: O Vul-  
cane faber Deorum, oramus te ut tuis istis instrumentis & campo resingas  
nos ambos & ex duobus unum facias. 3. Evincit hoc mors amantium,  
qui in proprio corpore mortui vivunt in alieno, ut Plato dicebat: at qui re-  
viviscunt in reamata, si amantes amentur. Augustinus lib. 4.  
Confess. c. 6. de hoc amantium morte hisce verbis pulcherrime disserit:

*Bene quidam dixit de amico suo: Dimidium anima mea. Nam ego sensi an-  
imam meam & amici mei, unam fuisse animam in duobus corporibus, propter  
vim scilicet amoris. Et ideo illo mortuo horrore mihi erat vita, quia vole-  
bam vivere dimidius: sed ideo sorte mori metuebam, ne ille totus moreretur.  
Videatur & Scultet. d. l.*

*II. Voluptas. Cum enim assequi finem omnium sit jucundissimum, quilibet  
eo habito quod amat contentus vivit. Plato in Phædro.*

*IF. Effecta amoris quando amatum amans adhuc adipisci de-  
bet, licet infinita sint & vix explicabilia: nihil tamen obstat quin vel  
digitum saltem & hic intendamus. 1. amans dum est in perpetua cogitatio-  
ne & cura de amato, avocatur calor à ventriculo ad cerebrum: unde se-  
quitur cruditas & sanguinis exhaustio, in ore pallor, anhelitus, compressio,  
tum ex vehemente animi intentione suspiria, potissimum ad aspectum aut  
mentionem rei charæ, tanquam videatur spiritus ceu gravi onere levari. 2.  
Amans rem amatam intensissime intuetur, nec alio deflectit oculos,  
nec etiam cogitationes. Hinc variat in facie rubor & pallor ex accessu &  
defectu sanguinis: eademque de causâ amans modo fervet modo friget. 3.  
Amantium mores mutat amor. Ex taciturno fit garrulus, ex garrulo taci-  
turnus, ex socorde industrius, ex effero mollis & suavis. Hinc perpetua queri-  
monia, laudationes importuna atque inepta, inanis loquacitas, narratiun-  
cula & fabella undecumque petita: ut mireris, unde apud amantes tantavis  
verborum possit profluere. 4. Sed hæc & id genus alia effecta quæ amor Cu-  
pidinis apud suos habeat, petantur in communi vita ab ijs ipsis, qui dubio  
adhuc, & vario eventu ei operantur: in quibus multorum instar nobis est  
Plautinus adolescens in Cistel. Act. 2. scena 2.*

*Credo ego amorem primum apud homines  
Carnificinam commentum.*

*Hanc ego de me jacturam domi facio,  
ne foris quæram,*

*Qui omnes homines supero atque antideo  
Cruciatibus animi.*

*Iactor, crucior, agitor, stimulator, verfor  
in amoris rota miser.*

*Exanimor, feror, differor, distrahor, diripior:  
ita nullam mentem*

*Animi habeo: ubi sum ibi non sum: ubi  
non sum ibi est animus*

*Ita*

Ira omnia mihi ingenia sunt: quod habet, non  
habet: id jam continuo.

Ira me amor lapsum animi ludificat, fugat,  
agit, appetit.

Raptat, retinet, jaestat, largitur: quod dat,  
non dat, eludit:

Modò quod suavit, dissuasit, quod dissuasit  
id ostentat &c.

## XII.

Remedia amoris, turpis vid. ( non enim nisi morbis remedia  
queruntur ) licet Poeta nobis denegare videatur inquit.

Omnes humanos sanat medicina dolores  
Solutus amor morbi non amat artificem ( Propert. lib. 2. )

Eleg. 1. Nos tamen & in hisce prescribendis vires nostras periclitabi-  
mur. Et quidem possunt ea esse 1. Violenta. 2. Naturalia. 3. Mo-  
ralia.

### I.

Violenta Cleantes prescripsit, ἀλλόφρονος βεβήχον. Eius gene-  
ris sunt, quando quidam sese Eunuchos fecerunt, flagrum affligerunt, oculos  
eruerunt vestimentis asperioribus uti sunt. 2. Sic Franciscus Monachus a-  
more vexatus in altam volutabatur nive, in qua impressas & fictas imagines  
amplectebatur, illud sibi suggerens: En tibi Francisce uxorem, en tibi  
liberos. Sabell. lib. 1. cap. 10. 3. Verum frena hac equis lora hac canibus  
injicienda sunt: homini aureum pallados frenum pro cohibendo affectuum  
impetu relinquatur.

### II.

Physica. Ad qua haec referri posse videntur. 1. Pausanius fluvij men-  
tionem facit, in quo viri pariter ac feminae lora, prisorum obl. viscebantur  
amorum. 2. Ex herbis lactuca ob frigus insitum. 3. ruta ob siccitatem, quod  
respicit Ovidius 2. de remedio:

*Vtilius sumes acuentes lumina rutas.*

*Et quicquid Veneri corpora nostra negat.*

B 2

Medi-

4. Medici sanguinis emissionem, & defecationem his utilem esse censent, quod ea minuunt calorem & ardorem coeundi; id quod & a Platone probatur. Sed forsitan hic nos extra metas

II

Moralia amuleta sunt ista, i. Inicis oblitendum. Ipsi enim amor semel Dominium est nactus, & se quasi in voluntaria possessione constituit, excutere eum non est in manu nostra, quum liber. Amor animi arbitrio sumitur, non ponitur, inquit Publius. Et egregie Plutarchus: Amor sensim illabatur, sed ingressus non facile discedit, etiam si alatus. Bene ergo poeta.

Principiis obsta sero medicina paratur

Cum mala per longas invaluere moras.

2. Vitanda occasio. Invitat locus fuge, provocat tempus cave: exstimulant prava colloquia abrupte Ovid. 2. de remed.

Dum spectant oculi laesos, laeduntur & ipsi,

Multaque corporibus transitione nocent.

3. Temperantiae studendum. Hieronymus apud Sabell. l. 5. cap. 6. tria, inquit amori medentur: Ieiunium, oratio, labor. & Menander:

Amorem sedat fames aut aëris penuria:

Nemo mortalium victum mendicans amavit.

Sed in opulenti puber hic innascitur.

Hinc tritum Terentianam illud: Sine Cerere & Libero friger Vultus.

4. Opus faciendum. Sicut enim amor valida & crebra cogitatione augetur: ita aversione animi aliorum deterretur, ut in occupationibus & negotiis variis. Vives l. d. Hinc apud Lucanum in Cupidine Venus Cupidinem filium graviter increpat, quod Deos omnes jaculis confixisset propter Minervam, Musas & Dianam. Tum ille parerem, inquit, o mater, sed Minerva sua me gravitate abstraxit, in Sylvis feras conficit, quam cursu assequi haut valeo. Musae vero honestissimis occupationibus tempus transmittunt. Ergo.

finem, aëris amoris

Cedit amor rebus, res age tutus eris. ET

Ergo ubi visus eris nostra medicabilis arte

Fac monitis fugias otia prima meo.

Hæc ut ames faciunt, hæc quæ fecere tuentur:

Hæc sunt iucundi causa cibis; mali

Otia.

Ora si tollas periere cupidinis arcus  
Contemnaeque jacent & sine luce faces.

Satis haecenus cum amore scimus (Ovid. 1. de remed.)

## DE DESIDERIO

### I.

Desiderium est appetitio boni absentis & convenientis. dicitur aliis nominibus, votum, optatio, concupiscentia, cupiditas, libido in singulis quaedam diversitas, vide Scult. in Eth. de desiderio, c. iuricum.

Differt desiderium ab amore. 1. Absens enim & futurum desideratur; praesens amatur. Cornel. Valer. descrip. Eth. cap. 5. Re enim praesente cessat desiderium, amor vero sua natura magis augetur, Nam si satietas amantem capiat, culpa est humani ingenij, quod vel mutatione delectatur, vel voluptates impuras persequitur. Singera autem voluptas non parit fastidium. 2. Multa desideramus quae proprie loquendo non amamus Scult. d. 1. 3. Desiderium est amoris effectum. E. non idem. 4. Atque hinc recte docet Picol. gr. 1. cap. 2. Leonem Hebraicum hoc discrimen perperam negasse.

### III.

Effectus desiderij sunt ijdem qui amoris in rem absentem concepti, tum molestia & dolor, quando nempe objecti adceptione frustratur. inveniunt Aristotele lib. 3. Ethic. cap. 2.

### IV.

Remediis & hic opus esse certum est. Immoderata enim cupiditas, si natura terminos egreditur, vitiorum plurimorum mater esse potest, & variae, ambitionis, luxuriae &c. Proinde licet amoris amuleta quaedam & hic quoque vim habere queant: attamen pro affectus hujus, latius amore patentis ratione, peculiariter subiiciemus pharmaca. 1. Desiderandum, quod conveniens & licitum, hoc est, non quod voluntas caeca suadet, sed quod maxime expedit: & hic prudentia opus. Unde Plato: non est, inquit, precandum ut quae molimur cedant ex sententia, sed magis voluntas nostrae prudentiam sequatur. 2. Expectandum cum modestia & spe, quod jubet Stoicus Epictetus: Versandum in vita ut in convivio. si quid circumferendo ad te perrenerit, porrecta manu modeste capio, praeferit? ne detur: nondum adest? ne longe appetitum extendam, sed expectato dum ad me perlatum fuerit. Et recte Vives: Amor cum fruendi desiderio torquet

Non ex amore, quo nihil potest fieri suavius: sed ex desiderio, quod cum dis-  
fertur affligit animum: sed si spes aliqua fruendi affulgeat non solatium  
modo, sed delectationem quoque affert. Nam sicut amor in fruitione habet  
magnam voluptatem; ita & in spe non parvam, velut imaginatione  
in rem presentem adducente. Vives l. d. Et haecenus cum desiderio.

## DE SPE.

### I.

Spes est motus cordis, quo cor futurum bonum appetit, seque  
ad illud accipiendum, ut ita dicam, aperit ac praeparat. Me-  
lanthon.

### II.

Quatuor spei sunt conditiones. Thomas prim. secundae. q. 20.  
2. 1. 1. Spes est de bono. E. nulla spes est tristis, sed leta. Scalig. Exerc.  
314. E. spes differt a timore. 2. Est de bono futuro. E. differt a gaudio,  
quod est de presenti bono. 3. Spes est de aliquo arduo, si proprie loqui ve-  
limus bono cum difficultate adipiscendi. Ecquis enim sperat aliquod mini-  
mum quod in sua sit potestate? Et sic forte differt a desiderio, quod est de  
bono futuro absolute. 4. Necesse est ut id bonum sit possibile adipisci.  
quia non sperat aliquis id, quod non potest adipisci: & sic differt a despera-  
tione, & desiderium praesupponit.

### III.

Interim ipsa ut vel levis est, vel hamata & viscata: ita nihil tam  
breve est, tam minutum, tam procul disitum, ad quod animus non ad here-  
scat facile, dum spei adminicula conquirat: quantum enim aut quale-  
cunque, satis habet virium ad spem sustinendam.

### IV.

Incertissima vero est spei persuasio & vitæ imprimis neces-  
saria. Propter rat hujus vitæ aerumnas. Omnia enim fierent sine spei con-  
dimento non solum fatua, sed etiam in suavissima. Adeo ad bonas spes perti-  
nax est animus & ultimum adversarum rerum solatium spes est. Seneca  
lib. 7. de benef. & lib. 5. de controversi. Bene ergo Tibullus  
lib. 2.

Iam mala finissem letho, sed credula vitam  
Spes fovet, & melius cras fore semper ait.

Spes



Spes alit agricolas: spes sulcis credit aratri  
 Semina, quæ magno favore reddat ager.  
 Hæc laqueo volucres, hæc ceptat arundine pisces,  
 Cum tenues hamos addidit arte cibus.  
 Spes etiam validâ solatur compele vindictam,  
 Crura fonant ferro, sed canit inter opus.

2. Atq; huc prudenter factum est in fabula, quod e pandora pyxide effudit  
 rebus omnibus ac perditis, Spes sola resederit in fundo: qua est imago huma-  
 nae vite. 3. Ea propter ab arte mundi effectum est, ut spes levissimis de  
 causis & nascatur & sustentetur. Vives d. l.

## DE LÆTITIA.

### I.

Lætitia est affectus quo animus commovetur ad gaudium  
 ob bonum præsens & adeptum, ob cuius adeptionem nobis gau-  
 dere rectum videtur. Cic. lib. 4. Tuscul. 1. Discrimen lætitiæ &  
 gaudij constituit Cicero, ut gaudio placide & constanter, lætitia vero inani-  
 ter & effuse animus moveatur. 2. Objectum lætitiæ est bonum præsens vel  
 revera vel specie tantum. 2. Dico bonum præsens quod solum vult Magi-  
 rus Physiol. Perip. 6. 16. 1b. 2. Negat Scaliger afferens, non ex instanti tan-  
 tum boni perceptione, sed ex præteriti quoq; memoria aut præsentis appro-  
 batione latari posse Exer. 337. Sect. 1.

### II.

Lætitia honesta est vel turpis. 1. Honestæ, quæ recta ratio-  
 ni est consentanea eaq; bona & concessa, qualis ex rerum bonarum contem-  
 platione & studiis comparatur. 2. Turpis: quæ à recta ratione dis-  
 sider, eaq; mala & inconcessa, qualis ex corporeis voluptatibus, ex pravio  
 studio & ex malevolentia oritur, quæ postrema hæc ἐπὶ χαίρειαν seu  
 de malo gaudium dicitur, affectus viris cordatis indecorus & ab homine  
 Christiano alienissimus. Atq; huic affectui opponitur ἠνέμωσις seu indigna-  
 tio, quæ res secundas ijs qui sunt illis indigni obtingere dolemus. Vid. Arist.  
 lib. 3. Eth. cap. 7.

Remo.

III.  
Remedia turpis lætitiæ, ab iis quæ de amore & desiderio dicta  
sunt, peti possunt. Sublatis enim causis tollitur effectum. Atq; hæc de affecti-  
bus natura bonis De iis dicitur sufficit: nunc consequenter quæ sorte &  
utilia & jucunda de materia hæc superesse videntur. In quibusdam  
despiciemus.

### Quæstio I. quomodo affectus ad Physicam & Ethicam pertineant?

Falcem hic in alienam messem mittere forsitan videbitur. Ethicus, &  
Physicum dissipare patrimonium, cum ea quæ ad physicam proprie spectant,  
Doctrinæ morali subijcere non vereatur. Et sanè cum affectus ab appetiti-  
va anime facultate dependeat, dubium non est quin tractationis locum  
eum anima ejusq; facultatibus eundem requirant. Etsi autem non negamus  
ea, quæ in una disciplina homogenea sunt, in altera heterogenea esse: attamen  
quia diversum considerationis modum & respectum monstrare possumus,  
ab hac suspitione liberi evademus. Subjecta enim disciplinarum non quo ad  
materiam, sed quo ad modum considerandi & sine distinguuntur. Zabara. l. 2.  
de nat. log. c. 11. Agit itaq; de affectibus Physicus, agit Rhetor, agit Ethicus, sed  
non eodem sine. Physicus enim scientiæ, Rhetor suasionis & dissuasionis, Ethicus  
virtutis gratia considerat, in iisq; moderandis omnè collocat opera. Bre-  
vis ergo hæc sit quæstionis enodatio. Affectuum Theoria physici  
est propria, quippe quæ eos quatenus qualitates sunt, inspicit et  
speculative perpendit. Praxis reliquarum est disciplinarum cujus  
partem sibi principem jure & merito moralis doctrina vendicat,  
cum de remediis & medicina affectuum certa præcepta tradit.

### Quæstio II. an effectus rectè & proprie dici queant perturbationes?

Perturbationum nomine affectus ut plurimum insignantur: sed an  
jure fiat, jure queritur? Stoicis nomen illud placuit, fortasse ad opinionis suæ  
delirium, quo omnes vitiosos volvere, fulciendam. Omnibus autem affe-  
ctibus id nominis tribui non posse, sed tantum vitiosis, inordinatis & exor-  
bitantibus, sequentibus probare poteramus. 1. Si affectus perturbationes  
sunt dicendi omnes simul erant mali: quæ enim animi perturbatio bona?  
Atque non omnes mali: quod infra probabitur. 2. Ab eo quod rei per accidens  
inest, nomen non est imponendum. At qui affectibus per accidens inest quod  
quan-

quandoq; inordinati sunt, ratione cuius perturbationes dicuntur. Ergo 3. Si affectus, quatenus affectus, perturbationes sunt, etiam Christo erunt attribuenda: non enim is caruit affectibus. At consequens absurdum: perturbationes enim quid aliud quam peccatum? quod à Christo longissime. Utamur ergo hoc vocabulo, sed ita utamur, ne bonis affectionibus communem cum malis labem & maculam aspergamus. Vide Sagittar. disp. 21. phys. thes. 9.

### Quaestio III. Quodnam sit subjectum affectuum?

De subiecto affectuum haec leviter decertatur. Hinc enim Stoicorum sunt orta deliria, qui statuerunt, affectus esse opiniones: opiniones autem cum rationis sunt: ratio vero sedem in cerebro habeat inde illatum fuit, cerebrum atq; ita cognoscentem facultatem affectuum subiectum esse.

Quò & Cardanus collimat, dum affectuum sedem voluntatem constituit.

Plato & Galenus lib. 4. de decret. eam quae concupiscit facultatem in Epate locarunt.

Verum ut subiectum affectuum genuinum sufficienter eruamus docendi quidem causa triplex ponemus. Proximum: remotius & remotissimum. Proximum dicimus esse **COR** his rationibus:

1. Ut nimia animi intentio, quae cerebri est opus insaniam affert: ita affectus nimij mortem etiam repentinam, quod fieri non posset, nisi commotiones haec ipsum vitae fontem occuparent. Plurimos autem affectibus fuisse extinctos Gellius lib. 3. cap. 13. Fulgosus lib. 9. cap. 12. passim Valerius Max. Et Laertius testantur.

2. Si subiectum affectuum Cor non est, erit aut cerebrum aut Epate. Non cerebrum: quia in eo existunt actiones & facultates quae adversantur affectibus. Iam vero eadem facultas eodem tempore actiones non producit pugnantibus; pugnant enim inter sese rationis & affectuum actiones, attestante ipsum Medea Ovidiana.

— — — video meliora proboq;, Deteriora sequor.

Non Epate. Alias rationis iudicio nullo modo regi possent affectus. Hic enim naturales illae animae operationes, fames & sitis vigent, quae imperium non patiuntur, secundum illud Catonis: Venter caret auribus: & illud, contra famem nulla contradictio. At qui affectus iudicio rationis regi & frenari queunt.

3. Pulsus est à corde. At qui ille pro ratione affectuum vel fortior vel languidior existit, & hoc vel illo modo cor concuti indicat. Ergo & ipsi affectus in corde resident.

**C**

**Subjectum**

Subiectum remotum est facultas, non cognoscens ut Stoici volebant, sed appetens; quod probatur: 1. Motio partis est appetentis non cognoscantis. Affectus est motio. Ergo. 2. Si affectus facultatis essent cognoscens, obiectum suum sub ratione veri aut falsi prosequerentur vel fugerent; hoc enim cognoscens est. At consequens est falsum: non enim sub ratione veri aut falsi, sed boni vel mali circa subiectum versantur, id quod appetentis est. Piccol. grad. 1. cap. 7. Ergo. 3. Autoritate Arist. qui 4. topicor. inquit iram in irascendi appetitu reperiri, voluptatem & tristitiam in appetitu concupiscentie. Subiectum remotissimum est omne animal perfectius, quod cum appetente facultate non careat, neque affectum expers dici poterit. Ex quibus elucet minus recte Stoicos, Platonem, Galenum & Cardanum. de subiecto affectuum sensisse; & merito quidem his suum Cardanum alloquitur Scaliger Exerc. 307. sect. 3. Crasse admodum ullum esse appetitum in voluntate dixeris. Videatur Piccol. grad. 1. phil. mor. cap. 7. in Compend. 1. partis secundae, summae Theol. D. Thomae c. 22. Dd. Conimb. in Eth. Arist. quaest. 2. art. 2. Scultet. in Eth. de affect. in com. cap. 3. Sagittar. exerc. phys. 21. thes. 9.

#### Quaestio IV. An affectus etiam in brutis cadant?

Stoici solum hominem affectuum capaces afferentes, bestias, a sunt, non metuere, sed quasi metuere, non cupere sed quasi cupere, non letari sed quasi letari, ut videre est, apud Senecam lib. 1. de ira & Ciceronem 4. Tusculanarum.

Hanc suam sententiam ex hypothesis illa, affectus esse opiniones facile deducere & probare poterant, si quidem opinio unum hominem respiciat: poterant & inde quod brutis ignoscere nesciant: ergo neque irasci queant, cum alterum ab altero praesupponatur.

In quam sententiam descendere videtur Libavius part. 2. singular. tract. de intell. bestiar. cap. 3. quando affectus proprie humanos tantum esse demonstrare conatur. Nos cum sobrie Philosophantibus affectus & perturbationes una, cum in hominem tum etiam simul cadere in bestias statuimus, moti rationibus: 1. Data causa datur effectus. Atqui in brutis datur causa affectuum, videlicet ipsa anima sentiens atque ita appetitiva facultas. 2. datur appetitus & p. c. affectus & perturbationes: 2. Pueri ante rationis usum maxime irascuntur, quod recte affirmavit Galenus. 3. Spes & desperatio; inquit.

inquit Savonarola Epit. phys. l. 12. Concl. 32. reperiuntur in brutis,  
quod ex motu ipsorum patet. Nam si canis à longè nimis videat leporem,  
cum adipisci desperans, non insequitur: Si a. in propinquo sit summa adipi-  
scondi spe insecatur. Thomas prim. secundæ quæst. 40. Art. 2. Ad  
primum igitur Stoicorum argumentum respondetur, quod procedat ex falsa  
hypothesi affectus intelligenti facultatis esse, quod refutatur. Ad alterum,  
distinguendo inter perturbationes & affectus quatenus consideratur per se, &  
quatenus cum respectu ad rationem. Priori modo rectissime etiam bestie tri-  
buuntur. Posteriori, nempe respectu ad rationem, cuius dominio tanquam  
aureo Pallados freno ad regiam virtutis viam ducuntur, ultro vel ipsi  
solè homini eos adscribimus. Hunc ergo modum posteriorem si cum Stoicis  
Libavius voluerit, ambabus manibus quasitum largimur. Vide Picco-  
lom. Grad. 1. Ph. m. cap. 31.

#### Quæstio V. An etiam in Deum cadant affectus?

Et homini & bestii affectus competere ostensum fuit. Nunc si Deo  
nobis alas aptare liceret, altius evolandum esset. Quærimus an & in  
Deum cadant affectus? hic rhodus, hic salta.

Si affectus considerantur pro ut sunt accidentia & virtutis objectum, à qua  
ad præteritum sunt reducendi, eatenus Deo inesse minimè affirmabimus,  
cum in eum nullum cadat accidens, nec ipse ulla perfectione indigeat. Quid  
ergo dicemus? Respondet quidem Piccol. grad. l. c. 9. Dico perturbationes  
per similitudinem & Metaphorâ sumas, & Deo & separatis mentibus conve-  
nire: ita dicimus Deum irasci, penitere, misereri, quæ ei competunt cum  
eminètia per metaphoram & per humanum considerandi modum. Nos n. cum  
omnia æquamus affecti perturbationibus & supernis agentibus similem agen-  
di modum tribuimus. Verum rectius statuere videtur Lyra, videlicet affe-  
ctus in Deo esse nec secundum rem, nec secundum similitudinem: sed dici de  
Deo secundum similitudinem affectuum: scilicet quod producantur à Deo  
effectus, similes affectibus à pœnitentiâ productis. Magna enim, inquit, est  
differentia inter has locutiones. Nam primo ponit similitudinem inter Deum  
& pœnitentem, in quantum est pœnitens, quod est inconveniens. Secundo  
verò modo ponit similitudinem nisi inter effectus à Deo productos & effectus  
productos à pœnitente. Lyra in cap. 6. Gen. Et tantum de hac  
quæstione.

#### Quæstio VI. An affectus virtutis moralis objectum?

¶

Duplex, ut notum est, virtutis moralis obiectum constitui potest, unum propinquum, videlicet affectus: alterum remotius, nempe ea omnia, quae affectuum antecedentia, quae obiecta, quae consequentia, & quae eos alia quacumque ratione attingunt. Sed de hoc in praesentia nihil. De propinquo illo quaeritur an verè illud sint affectus? Affirmativam sequentibus stabilimus & defendimus. I. Obiectum est cui aliquid adiungitur ut in eo occupetur. At qui affectibus adiungitur virtus, ut in illis frenandis & ordinandis occupetur. Ergo affectus sunt virtutis obiectum. Exempli loco fit illud: Homines sunt vel boni vel mali. Boni qui sunt moderatos habent affectus, sed unde? non aliò, nisi à virtute. Mali frena laxant affectibus, unde? nimirum: Fertur equis auriga nec atudit currus habens. II. Unde emergit alterum: Omnis animi habitus occupatur in ijs quibus aut melior aut deterior efficitur. At qui per affectus habitus sunt boni, sequendo vel fugiendo quae non oportet. Ergo. III. Autoritate i. Ciceronis i. officior. Efficiendum est, ut appetitus rationi obediant eamque neque praecurrant, neque propter pigritiam aut ignaviam deserant, sintque tranquilli atque omni perturbatione animi careant. Ex quo elucebit omnis constantia omnisque moderatio. IV. 2. Aristotelis qui aliquot argumentis probat circa voluptatem & dolorem virtutem esse occupatam, 2. Ethicor. cap. 3. & 7. 2. Rhet. cap. 4. Vbi sanè loci Philosophus per voluptatem non tantum eam intellexit, circa quam propriè tenent perantia est occupata; sed quae generaliter omnibus virtutibus respondet. Proinde etiam uti Philosophus per voluptatem omnem dulcem & delectabilem: sic per dolorem, omnem tristem & iniucundum affectum intellectum voluit. Quod ipse plane insinuat, cum doceat id omne affectum esse, quod voluptas aut dolor sequitur. Casus in spec. moral. quaest. 1. 2. c. 3.

Quaest. VII. Vtrum affectus cadant in virum Ethicum?

Ferunt Stoicos eiusmodi virum sapientem esse voluisse, qui nec quandoque ariet, nec letetur, nec tristetur, nec metuat, sed unico eiusmodi,  
Qui ceu dura silex stet, ceu marpesia cautes.

Possent hæc eorum opinio iam confirmari i. dicto Paulino Rom. 7. v. 5. Cum essemus in carne affectiones peccatorum per legem existentes vigeant in membris nostris, ad fructum ferendum morti. Nunc autem liberi sumus. E. in virum pium & sapientem affectio cadere non debet. II. Aegritudines non debent cadere in virum Ethicum, Atqui affectus sunt aegritudines. E. Verùm contraria & affirmativa sententia stabilitur hisce: I. Quaecumque bona per se sunt cadere possunt in virum Ethicum. Atqui affectus per se boni sunt: quod infra probabitur. Ergo. II. Cui finis est propositus, eidem & medium ad finem perducens. Atqui viro Ethico propositus est finis scil. beatitudo. Ergo & media ad beatitudinem ducuntur. Media illa sunt virtutes.

At qui

Atqui sine affectibus virtutes non consistunt : circa eos enim versantur, quod inculcatum est. III. Diversa possunt esse in uno eodemque subiecto simul. Atqui sapientem esse & affectus habere sunt diversa, & non aliter se habent, quam ut formosum & facundum esse. Ergo. IV. Possunt huc facere argumenta ea quae inferius pro bonitate affectuum adducentur. Pro determinatione quaestionis notanda veniet distinctio affectuum domitorum & indomitorum. Si enim indomiti affectus dominantur in viro Ethico, utique hoc modo in eo non probabuntur, quin imò viri Ethici nomen hac ratione amittet. Respondeatur igitur ad primum quod Paulus loquatur de affectionibus, legis frena excutientibus & indomitis. Ad secundum negando minorem. Affectus enim quatenus virtute domantur & cohibentur non sunt aegritudines, & ita à viro Ethico alieni esse non debent nec possunt. Videantur Dd. Conimbric. in Eth. Aristot. disp. 6. quaest. 4. art. 1. 2. Goclen. quaest. Eth. pag. 141. 142. Scult. in Eth. de affect. cap. 4. Sagittar. disp. Eth. de virt. moral. disp. 7.

Quaest. VIII. An affectus tantum actiones, non verò passiones, dicendi?

Affectus sive τὰ πάθη passiones esse ipsum vocabulum indicat; unde videntur actiones dici non posse. Si enim actiones dicantur iam non τὰ δῶν ἢ δικάζονται, sed ἔξω habitus & qualitates erunt. Hinc Scotus in 4. sentent. dist. 47. asserit perturbationem solum esse per passionem ab actione virtutis distinctam. Alio verò & diverso quidem respectu commodè & passiones & actiones dici affectus posse, rectè statuitur. Nam Aristoteles 2. de anima cap. 38. ostendit, animam esse causam ut finem, ut formam & ut efficientem. Hinc affectio inter operationes immanentes numerari debet, veluti amare & irasci, non secus ac videre. Perturbationes itaque seu affectus ex parte obiecti actiones dici possunt solum, ex parte facultatis appetentis modo actiones modo passiones; ex parte corporis passiones solum. Ex qua quaestionis decisione patet minus rectè Scotum affectus passiones dici tantum voluisse; quamvis non negetur rectius ita & commodius nominari posse cum ex passione orientur, & appetentis facultatis ab obiecto sint passiones, unde & nomen τὰ πάθη illis impositum. Adiunge Piccol. Philos. M. Gr. 1. cap. 3.

Quaest. IX. Anne & quinam Stoicorum de affectibus fuerint errores?

Sunt qui Stoicorum & Peripateticorum de affectibus litem meram & nudam λογιστικῶν dictam volunt, quibus ad stipulari videtur Cicero 4. lib. de finibus, dum argumenta Stoicorum, diluens, ostendit, solâ novitate verborum ab Academicis & Peripateticis dissentire: Et Augustinus lib. 9. de civitate

Dei, qui litteram hanc in verbis tantum positam esse asserit. Piccolomineus gr. 1. cap. 25. non videtur, inquit, rationi consentaneum quod Stoici qui adeo accurate in disciplina morum sunt versati, qui sententias & precepta tam frequentia adedq; præclara protulerunt, satis similia illis qua à viris sanctis enumerantur, ut legenti Senecam, Epictetum & alios Stoicæ familiaria illustres viros, redditur conspicuum, mox adeo ignaviter erraverint ut nulla ratione defendi potuerint, nullaq; viâ eorū sententia possit ostēdi vera. Hæc ille. Et certe apparet ipsos non omnes simpliciter affectus è medio tollendos censuisse, sed illos tantum qui cum recta ratione pugnant, quales sunt tristitia, odium, metus. Hinc præsertim qui sincerius sunt Philosophati quosdam affectus bonos ut gaudium, clementiam, misericordiam erga afflictos, amorem erga parentes, liberos, amicos & virtute præditos, etiam in sapiente sponte sua reliquerunt. Sic vero simile videtur propterea ipsos affectus opiniones dixisse, quod sine opinione antecedente nunquam existant. Quicquid autem sit non tantum in verbis sed etiam in rebus dissensionem esse certum est, 1. enim fuerunt qui affectus opiniones esse dicitarunt, sive illi Stoici sive alio vocentur nomine. 2. Fuerunt, qui affectus è fortuna & corporis bonis ortos, vitiosos esse existimarunt. 3. Fuerunt, qui è natura tollendos & tolli posse affectus arbitrati sunt. Singula deliria contemplabimur.

Quæst. X. An affectus sint opiniones?

Prima, de qua suspecti nobis sunt Stoici quæstio hæc est, an affectus sine opinionibus? Quod si per affectus hæc communiter intelligantur omnes appetitus, voluptates & dolores sensuum etiã externorum nihil ineptius hac ipsa opinione cogitari potest. Dolorem enim & delectationem quæ in singulis sensibus ex objecti perceptione existit, non esse opiniones adeo manifestum est, ut declaratione non indigeat: quemadmodum etiam de affectibus, qui sunt motus cordis, ut letitia, tristitia &c. res perspicua est. Quamvis igitur hæc opinio sale potius quàm refutatione egeat, attamen pro declarandâ veritate hæc argumenta subjicimus. 1. Quæ definitionibus differunt, re ipsa differunt. Atqui affectus & opiniones definitionibus differunt. Ergo. 2. Quæ subjecto differunt re ipsa differunt. Atqui affectus & opiniones subjecto differunt. E. 3. Opiniones semper sunt languide. At verò affectus sæpè violentissimi. 4. Iudicium rationis affectus bonos probat & excitat, vitiosos improbat & extinguit. Ergo rationis iudicium & affectus miscere nihil aliud est teste Plutarcho in libel. de virtute moral. quam venatorem & feram non duo sed unum esse putare. 5. Quandoq; opinio existere potest corde nullo affectu commoto. E quibus firmissimè concluditur hæc de opinionibus opinionem esse absurdissimã. Soletur se autem quam diu visum fuerit, Possidonium

nijus



nus Stoicus de quo Strabo lib. 14. qui cum articulari morbo affligeretur dixisse fertur: dolor nihil agis; soletur se inquam ne nobis ridiculus fiat.

Quaest. XI. An affectus simpliciter mali & vitiosi?

Ersi affectus ab omnibus sapientibus uno ore tanquam motus divinae naturae congruentes & semina virtutum sunt habiti: fuerunt tamen, uti dictum est qui eos non esse motus naturales, eamque ob causam vitiosos & a viro bono vitandos statuerunt. Quorum ad opinionem evertendam his utimur arietibus. 1. Natura nihil molitur frustra. ἐὼδὴ λὸρ. Atqui natura indidit homini affectus, eorumque instrumenta corpori artificiosè adposuit. Ut enim lumen in oculis à Deo conditum est: ita cordi insitae sunt σοφῶν divinitus, & quidem idè, ut sint commones affectiones de dilectione Dei erga Filium & erga nos quod inquit Dn. Phil. 1. de anima Tit. Qui sint errores Stoicorum. 2. Deus praecipit non nisi quae bona sunt ἐὼδὴ λὸν. Atqui praecipit affectus. E. Affectus boni sunt. Minor patet: praecipit enim Deus amorem sui, proximi, conjugum, liberorum &c. 3. Si affectus fuerunt in homine ante lapsum, & erunt in vita altera secutura, utique mali non erunt. Malum n. eò non pertingit. At prius est verum. Ergo 4. Si ipse Filius Dei habuit affectus, mali & vitiosi esse nequeunt. Absit n. ab hoc malum: absit vitium. Atqui prius est verum. Ardet n. Christus amore Patris & hominum Ioh. 15. Christus & Matth. 26. latatur Matt. 11. lacrymas fundit Luc. 19. Ergo 5. Instrumentorum conditio & natura ex congruente rectoque usu est judicanda. Atqui multiplices affectuum utilitates ex recto istorum usu conspiciuntur. E. Ex quibus patet affectum per se in suo genere bonum esse bonitate nempe naturali. Prout enim convenit rationi & prout ab eadem dissentit: Sic etiam vel bonus vel malus moraliter dici poterit. Colleg. Conimb. disp. Lib. 6. quaest. 4. Art. 2. Piccol. gr. 1. c. 24. & seqq.

Quaest. XII. An è medio tollendi?

Affectus item si moderati sint tolli nec posse nec debere partim ex precedentibus partim ex aliis firmiter concluditur. 1. Quodcumque bonum est, è medio non est tollendum affectus boni sunt. E. 2. Quodcumque à natura insitum imò à Deo inditum & injunctum est illud evelli & extirpari minimè debet. Hinc pulcrè Venosinus. Naturam expellas furca tamen usque recurrit. 3. Sublato objecto res ipsa tollitur, quae circa illud versatur. Tolle enim colorem & tolles visum. Sed objectum virtutis est affectus. E. sublato ipsa virtus tollitur, & τὸ πῶν hoc. 4. Res utilis & summe necessaria non est abolenda. Talis v. affectus, quod probat Herodes Atticus apud Gell. 1. 19. c. 12. Animus, inquiens, omnino langueret, torperet, omnem vigorem, & alacritatem, bonam & utilem indolentiam amitteret, nisi huius ageretur motibus & concuteretur.

Ut Plutarchus: affectus sunt anse, quibus apprehendentes ipsam virtutem arripimus. Sic ira est calculus fortitudinis: tristitia est quoddam frenum errantes in viam reducens, misericordia stimulus est ad opem ferendam miseris, concitans, metus est turpium noxiorum in omni vita cautela. V. Si affectus tollendi sunt sequentur innumera absurda. Nemo enim Deum colet, nemo parentes reverbitur, nemo liberos proteget, amicos defendet, patria opitulabitur, nemo tandem sceleribus irascetur eademque puniet. Et quid non tandem? plumbeos habebimus homines. VI. Patet ex Sapienibus qui viri optimi cursum describentes, eundem affectibus nullo modo spoliant. Homerus Iliad. 5. v. 284. metum forti non omnino adimit: Semper adest forti color idem nec gravis illum.

Pertentat metus.

Et Ulysses Cyclope circumvento odys. 9. v. 412.

Est mihi tunc, inquit, in pectore risus abortus.

Sic de Aenea Virgilius passim similia pronunciat. Ex quibus tandem concludimus nihil minus homini affectus adimi posse, quam potest metus cervo, venenum serpenti, placiditas pecudi ut Lactantius lib. 6. cap. 15. ait. Et recte cum Herode Attico apud Gellium d. l. Stoicos homini conferimus qui cum conspexisset vicinum arbores putantem, suas ipse totas excidit & detruccavit. Non enim refecandi, sed castigandi & ad medium virtutis semitam dirigendi sunt affectus: quod ipsum iubent ac volunt sacra litera: Ut 1. Thess. 4. v. 13. Ne doleatis quemadmodum ceteri qui spem non habent. Et Psalm. 4. v. 5. Irascimini sed nolite peccare. Quae castigatio & directio licet his seculis, ubi irae praecipua, cupiditas effrenis & ubi omnia

In peius ruere & retrò sublapsa referri videntur, valde difficilis sit, non tamen impossibilis est, quippe Nemo adeo ferus est qui non mitescere possit. De hac quaest. vide Camerar. in proem. com. in Eth. Arist. Philip. lib. de an. & l. 1 Eth. Accia. com. in lib. 2. Eth. Arist. 6. 3. p. 134. 135. Sagitt. disp. Eth. de virt. moral. disp. 7.

Quaest. XIII. An verum quod dicit Aristoteles lib. 2. Eth. cap. 5. propter affectus nos neque recte laudari neque vituperari?

Aristoteles d. l. ostensurus virtutem moralem non esse affectum inter reliqua hoc avertit argumentum, quod ex affectibus neque boni neque mali pronunciamur, propter eosde nec laudemur neque vituperemur. Quae assertio an locum habere queat, haut immerito dubitatur. Ut ergo recte de hac nobis quaestione constet, dicimus sententiam illam, ubi ad Theologicum forum perventum fuerit, sano sensu consistere minime posse. Quis enim nescit propter Dei & proximi amorem, propter desiderium bonorum futurorum &c. Christianum recte laudari, propter

propter desperationem verò & alios affectuum imbecillitates rectissime vituperari. Defendimus itaq; & retinemus hoc Aristotelis effatum, si cum grano hoc salis accipiatur, Ethicè, moraliter & habitualiter intelligatur, & inter suos sese cancellos contineat.

#### Quæstio XIV. Vnde pugna illa sit affectuum & rectæ rationis?

Hanc rationis & affectuum pugnam omnes mortales in semetipsis quotidie sentiunt: adeoq; ipsos etiam gentiles Philosophos eam aliquo modo intellexisse, clarius est, quam ut aliqua probatione indigeat. Hinc illustris est illa Medæ querela apud Ovidium: *Video meliora proboq; Deteriora sequor.* Et Phædræ in Hippolyto Senecæ, quæ postulatura incestum concubitum privigni exclamat: *Vos testor omnes Calites hoc quod volo me nolle.* Atq; ad nutricem dicit: *Quæ memoras scio, Vera esse nutritrix: sed furor cogit sequi Pejora. Vadit animus in præceps sciens, Remeatq; frustra sana consilia appetens.* Sic cum gravat am navita adversa ratem propellit undâ, cedit in vanum labor. Et victo prono puppis aufertur vado. quod ratio postulat, vincit ac regnat furor. Sic & Aristotelis dicit, appetitum rectæ rationi, optima suadenti, repugnare: adeoq; esse veluti membrum paralyticum, quod cum horsum movetur, eorsum perperam distorquetur. 1. Eth. 12. Verùm unde hæc ipsa pugna sit, hoc in loco non abs re queritur? Nos hac de re breviter.

1. Aristoteles videns hosce inordinatos & inter se pugnantes affectus, cum causam discordiæ non perspiceret, tantùm addit aurigam & gubernatorem, scilicet iudicium rationis & jubet omnes ad mediocritatem revocari, ne vel omnino ex natura tollat appetitiones, vel ipsi affectus erumpant extra metas. Ex Melanthon.

2. Iesuitarum de hac quæstione ista sunt emblemata. 1. Natura humana primitus condita morbum & languorem ex naturæ conditione orientem tribuunt. 2. Dictitant obedientiam partii inferioris erga superiorem, & hujus erga Deum non ex naturæ rectitudine & integritate; sed ex dono supernaturali existere. 3. Item: Ex materiæ conditione in homine in puris naturalibus considerato præcipitem ad vitia inclinationem oriri. 4. Item: concupiscentiam esse quasi morbum naturæ ex materiæ conditione consequentem. 5. Item: Sic hominem constare ex carne & Spiritu, ut hinc ex

contrariū propensionibus existat in uno homine pugna, & ex hac difficultas agendi, dum una propensio alteram impediatur. Bellar. l. 1. de gratia primi hominis c. 5. 6. 7.

3. Sed nos, sic praeunte nobis scripturā sacrā, asserimus quidem  
1. hominem esse animal verè mirum, ex duabus partibus multò diversissimū compactum, ex animo veluti numine quodam, & corpore tanquam matā pecude. 2. Verūm summum illum opificem hasce duas naturas tam felicē concordia colligasse, ut nulla hīc lucta, nulla concertatio, nulla dispensio suspiciam fuerit reperta. 3. Tandem infernalem serpentem in lapsu Adamitico hasce duas naturas infelici discordia sic dissecurisse, ut neq; iam dirimi queant sine maximo cruciatu, neq; conjunctim vivere sine assiduo bello, juxta illud:

Nec tecum possum vivere: nec sine te.

4. Atq; sic hanc rationis & affectuum pugnam non ex natura conditione, sed ex lapsu Adamitico unice dependere: idq; ex hisce fundamentis. 1. Scriptura testatur Deum creasse hominem in imagine & similitudine suā Gen. 1. 26. & 28. ad quam etiam in regeneratione renovatur Eph. 4. 10. Vidit Deus cuncta quae fecerat, & ecce erant bona valde. Gen. 1. 31. Ita nempe Deus opere hoc suo imprimis suis detectatus. at quomodo haec conveniunt cum effatu Monachi Bellarmini de defectibus, morbo, languore natura, & imprimis de Concupiscentia non amore, sed odio digna. 3. In herentis Innocentii, simplicitatis, mundicie & sanctitatis argumentum erat, tum nuditas hominis, tum ejus in paradysum collocatio. 4. Eccles. 7. v. 30. Deus rectum hominem fecit: quem locum Augustin. lib. de corrupt. & gratia c. 10. de rectitudine voluntatis adeoq; totius hominis explicat. E. nulla in homine fuit obliquitas, nulla curvitas, nulla à Deo ad vitia propensio fuit & defectus. Proinde notandum. 1. Aristotelem & reliquos Philosophos ignorasse veram causam hujus dissidij, quia doctrinam de corruptione humanae natura per lapsum primorum parentum & de peccato originis nesciverunt: idcirco illos merito fuisse admiratos, cum creatura cetera secum non pugnent, sed obtemperent illis legibus, quae ipsis divinitus positae sunt, cur in solo homine, qui creaturas omnes dignitate antecellit, sit ea discordia & pugna, ut vires inter se tanquam hostes dimicent. 2. Jesuitarum ista Emblemata scripturis sacris prorsus esse contraria: uti in ipso disputationis actu ad oculos fusiùs ostendetur.

Quaestio

Quaestio X V. An eadem pugna rationis & appetitus, de  
quâ Philosophi: & lucta carnis & hanc operati-  
one suâ aggredientis Spiritus, de  
qua Theologi?

Scilicet proximis hisce temporibus quispiam reperiri potuit, qui eodem loco habuit, quando Medea dicit: Video meliora &c. & quando Apost. dicit Rom. 6. Video aliam legem rebellantem legi mentis meae. Nos ab hac sententia prosternitur nos esse alienissimos: & infinitum discrimen hic prolixè agnoscimus. 1. Theologi enim nomine rebellantis carnis non tantum venit  $\delta\omega\alpha\mu\iota\varsigma\ \delta\phi\epsilon\kappa\tau\iota\kappa\eta$ , quae ad omne malum propendet: verum etiam ratio ipsa: ita ut ratio & spiritus in spiritualibus sibi non repugnent, sed socias quasi jungant manus & conjuratione factâ oblucentur Spiritui. Siquidem & ipsum  $\tau\omicron\ \phi\rho\acute{o}\nu\mu\alpha\ \tau\eta\varsigma\ \epsilon\alpha\sigma\kappa\acute{o}\varsigma$  inimicitia est adversus Deum: &  $\omega\acute{\alpha}\nu\ \tau\omicron\ \nu\omicron\eta\mu\alpha$  sic oblucentur Deo, ut nisi domitum & in obsequia Christi captivatum sapiat ea, quae sunt Dei 2. Cor. 10. 2. Modum istum, quo lucta haec carnis & Spiritus compescenda sit, sola doctrina Ecclesiae inculcat: nempe Rom. 8. Si spiritu carnis opera mortificaveritis, vivetis. Contra gentiles isti Philosophi duntaxat luctam rationis & appetitus suae quidem. Ethicis præceptis refrenare voluerunt: verum, quia nesciverunt avitani istam & innatam malitiam & vitia nobis naturâ inesse, ideoq; actum secundum vitiorum tantisper inhibere; sed vitiosos modus cordis nequaquam reprimere potuerunt.

Quaestio XVI. An amantis appetitus magis expleatur a  
spectu rei amatae quam complexu & osculo?

Dicitur quidem  $\epsilon\kappa\ \tau\omicron\ \delta\epsilon\acute{\alpha}\nu$  nascitur  $\epsilon\acute{\sigma}\alpha\upsilon$  ut etiam Aristoteles 1. 9. Ethicor. cap. 5. docet. Sic Philemon. apud Clementem lib. 6. vident, inquit, homines, cum subit admiratio contemplantur, mox spes, fit ex his amor. Quò respexerunt Poëtae, dum fingunt cupidinem in oculis excubantem sua tela inde mittere. Sic Platonici asserunt amorem oculis potius excitari quam tactu. Sed ut propius questionem accedamus, non hic queritur quâ viâ concipiatur, sed qua desiderium ejus expleatur, visumne magis an tactu? Posterius affirmamus sequentibus rationibus.

Vnio &

1. Unio & Conjunctio amantis cum re amatâ amoris effectus est, ut inquit Savonarol lib. 12. Epit. Phys. Concl. 18. imò finis. Propterea enim amat animus ut amatum sibi coaduniri velit. Ex superioribus.

At qui visu illa unio non perficitur. Nititur enim amans amatum non solum cognoscere superficialiter, sed etiam singula eius diquirere & eo perfecte frui, quæ verba sunt Savonarol. d. l. concl. 19.

Quare mater filium ad se peregrè reversum non satis habet oculis inueneri, nisi & osculo excipiat, quo facto acquiescit.

2. Tactus est sensus perfectissimus Arist. lib. 2. de an. tex. 94. Scal. Exer. 286. Sect. 2.

Et delectationes secundum tactum sunt potentissimæ: Nam est cognitivus eorum ex quibus consistit animal, scilicet calidi, frigidi, humidi & sicci: adde quod hujusmodi delectationes sint majores cæteris, propterea quia, quasi fini propinquiore sunt Savonar. d. l. conc. 29.

3. Pulchrè id ipsum innuit Scaliger Exerc. 310. Sect. 2. Amoris fundamentum, inquit, est corporum & osculorum conjunctio quod cum putarent Veteres Sapientes B A S I V M Græcâ voce nominarunt.

Ex quibus constat tactu potius quam visu amantis expleri desiderium, quamvis non negetur visus delectationes esse potiores, in quantum visus intellectui deserviens consideratur. Magis enim visus perennis est; quia verò purior, minus amantem satiat.



Fc 1249.  
gn

ULB Halle

3

003 422 747



Bitte noch kein

Sammelbd. verwenden


nach Ausleihe

an Retro-Ecke


OK

Zurück!

VD 17







...PTATIO V.  
...IONVM ETHICARVM  
De  
**TO VIRTU-**  
ALIVM, VIDELICET  
S IN GENERE, ET  
in specie de  
DESIDERIO  
& LAETITIA  
Quam  
ENTE ET DOCENTE.  
i Academia Witebergensi  
*Praside*  
O VELSTENIO PHILO-  
sophialis Professore publico,  
rendendam suscipiet  
ANDREAS FABRICIVS  
Hertzbergensis  
arij horis locoq; consuetis.  
M O S E S  
titus tuus, & tu dominaberis e.  
WITEBERGÆ  
ullerianis Anno 1607.